



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

II. An homo naturâ sit propensus ad odium Dei, & proximi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

nulla consolatio est: Aut, si quæ esse videatur; (tua recipe verba) *diabolica, & impia est* utraque.

Sed de fide speciali, deq; Certitudine salutis infra plura ad *quæst. 12. & 25. sect. 5. & in meo Luthero-Caluinista par. 4. q. 51. 53. 66. 67. in Antichristo par. 4. q. 33. 35. 36.*

AD QUÆST. V.

Num hæc omnia (præcepta DEI) servare potes?

I. An homo Legem Dei perfecte servare possit?

CALVINVS Instit. lib. 3. c. 14 § 9. pernegat: quia ait, *Nullum à Sancto exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrii mercedem*: Et specialiter de lege Dilectionis rigide negat in Antidoto ad *sess. 6. c. 11.*

CATECHESIS negat absolute; distinguit nihil.

MINISTER eam cum distinctione sic explicat: I. Ante peccatum originale potuit homo legem Dei perfecte servare, ut creatus perfecte bonus: Post lapsum anteregeneratorem in Baptismo, non potest: Acq; de hoc homine physico seu animali Catechismus hic, & *quæst. 8. & 14.*

2. Agit autem de omnimodè perfecta observatione legis: non iuxta legis depravationem istam Maldonati: *Diligas, &c. ex Toto corde Deum, id est, quantum possumus, diligamus: quia, quantum possumus, Deum vniq; diligere possumus.* O lepidum caput; sed cerebrum non habet, ac impudens! Quia, ait Augustin. l. 2. *Medit. c. 2. Neque restat in nobis aliquid, quod aucti possit ad Totum: si restabit; dici non potest Totum.* Ergo ex Toto diligendus Deus; quod perfecte nemo potest. Crassus aliquis Pelagianus dicit, *Posse perfecte servari.* Negat nobiscum Maldonatus, *regenerum sine gratia posse*: Negat & Parochus; nisi, ait, *cum Deo, & fauente gratia.*

3. Sed manifestus stupor est in expurgatore hoc, si non aduertit Catechistam loqui de irrogenito: si aduertit, voluntaria eius malignitas est: nec purgatione opus, cum idem doceat Ecclesia Romana, quod nosset Catechista.

Sed neq; Regenitus potest perfecte servare legem: patet *quæst. 11. 4.* etsi quadam tenus possit.

RESPONDEO AD I. Placet distinctio; etsi lippis, tonforibusque nota. Displicet nec Regenitos servare perfecte posse dici; Exigiq; omnimodè perfectam observationem. Quæ, quia ad *quæst. 11. 4.* rejicit; rejicio hic omittoq;

Pro duobus pauca dabo; Maldonato, & Parochio.

AD II. Benè Maldonatus: Sicq; in Ministrum retorqueo: Quia, qui diligit, quantum potest; is ex suo Toto diligit; i. e. perfecte: nam, iuxta August. *nil restat in eo, quod addi possit ad Totum*: Ergo is perfecte diligit. (Nunc tua recipe verba:) *O lepidum caput Ministri; Sed cerebrum non habet! Impudens etiam & qui verscem impudentiæ arguit; continuoque asserit, eundem sentire secum; scilicet, Regenitos præcepta Dei servare non posse sine gratia Dei; Parochumque suffragari.* Pelagianus dicit posse servari solis naturæ viribus; nos opus Dei gratiâ dicimus, sicq; posse. Crassus igitur Calvinianus est, qui istud utrumq; posse tam diversum, insinuat tacite similitudinis. Quin fateris ipse, Regenitos posse; etsi non perfecte. Carpis; & quem, quare; nescis.

AD III. Catechesin hic loqui de irrogenitis ais; ut pugnare nolim; nondum tamen persuadeor satis. Quia ad quos lex de diligendo Deo pertinet in Catechismi q. 4. ad eosdè pertinere consequenter debet quæstionis 5. responsio de legis observatione: at illa pertinet ad recutitos Ver. Testamenti, ut ait Minister; & ad regeneritos Noui, ut fatetur Paræus in *Explicat. quæst. 5.* Ergo & observatio in quæstio. 5. pertinebit ad utrosque & non ad solos irrogenitos. 2. Deinde Catechesis negat absolute servari posse perfecte; excipit, distinguitq; nihil: Ergo recte ego restrinxi illam ad Regenitos solos, recte q; correxisti: *estq; in hoc, (tua recipe verba) manifestus stupor, aut malignitas voluntaria.* Ministri, & non Parochi, corrigentis ad cautelam magis, quam necessitatem.

II. An homo natura sit propensus ad odium Dei, & proximi?

CALVINVS Instit. l. 2. c. 2. tradit, *Hominem arbitrii libertate nunc, post lapsum & regenerationem, scilicet esse spoliatum.* & cap. 3. *ex corrupta hominis natura nihil, nisi damnable prodeire: §. 8. Esseq; nos ad malum toto animo naturaliter propensos.*

MINISTER cum Catechesi affirmat, confirmat: terminos *Natura, & Odium* explicat. *Natura* dicit

tria: Essentiam, inde à creatione. Profapiam, ab origine: In natum quid, in natiuitate. De cor up a hic agimus, ac innata prauitate. Quar impertinens atq; inepta plane est Paro. hi responsio, ad Rom 8. *Inimici Dei sumus per peccatum, non per naturam*: Sumens Naturam, quatenus à Deo creata est bona: cum catech. sis ibi: *Natura sumus propensi ad odium*; intelligat corruptam peccato. Quinimo ibidem ad Rom. 3. Sumit naturam pro vi iat, dicens *posse nos facere bonum, non ex natura; sed gratia*: hoc est consentit eum nostro Catechista, *nos natura propensos esse ad malum*, scilicet *Odium Dei & proximi*. Ita in paucis lineis aperte ubi contradi: miser. Et quod plus est: Sumit etiam Naturam, pro eo quod est ab Natiuitate, dicens: *Natura declinamus omnes & origine*. Quæ hæc stupiditas, & verborum inconstancia? Hic fructus est spiritus vertiginis. Vocem natura confundit, & ipse turpiter confunditur: *Nec considerat quid; sed quantum loquatur*, ait Hicton. more hæreticorum.

RESPONDEO. Insolens petulantia hic, vt alubi, est linguæ Ministræ; & saniosum ingenium captiosi Sannionis, sinistriq; interpretis alienæ mentis ac verborum: idque per serium ludum in voce Natura. Ecce asserta mea, & ea Romano-Catholicè orthodoxa: *Naturali Essentia, etiam post lapsum, tribuo. Bonum morale operari posse*: doceoque in *Luthero-Caluinista part. 4. q. 45. in Antichristo part. 4. q. 15. in Genealogia part. 4. question. 13.* Et naturæ vitiatæ eidem tribuo *Propensionem ad malum*. Et tamen nego, *Nos natura propensos ad Odium Dei, & proximi*. Et aio: *Inimici sumus Deo per peccatum, non per naturam*.

Quæ in hisce sano iudicio vel contradicção; vel stupiditas & Inconstancia verborum; vel Confessio cū Calvinistis; aut impertinēs atq; inepta responsio cerni potest? Serpens ictus in spiras sese conglobat; aliumq; suis implicat inuolueris; vt suam alteri imputet implicationem. Exclamat; *Bone Deus! Quantum odium nostris Ecclesiæ vnica illa vox ODIVM, apud aduersarios concitauit? Et quantum dedit ansam Inimicis nostris doctrinæ nostræ Catechesios traducendi, exhibilandi, blasphemandi? Sed carpunt, quod non capiunt, vel non volunt capere, &c.* Ita Goliathus ille scilicet reprobrat Exercitui & Ecclesiæ Dei vniuersæ.

Statuamus statum quæstionis: *An hominaturæ CORRUPTA sit propensus ad Odium Dei & proximi?* Calvinismus ait: Catholicismus me-

cum negat. Hinc manifestum est Ministræ studium affectatum ac professum dicta mea deprauandi. Nimirum quia deserebat eum veritas, ratio, & doctrina, qua solidum quid profertre in contrarium potuisset; hinc ad locos suos communes confugit calumniarum, virusque ingenij sui dirum.

Quærens, ex qua capillitio suo innodatus pender hic Absoloni Minister, est ille Calvinismus: *Naturam corruptam esse TOTAM*, post lapsum, etiam quoad Essentiam, sic: vt ex ea nihil, nisi damnabile prodeat. Nos, *pura Naturalia* persistere docemus; esse autem debilitata, non in se, sed ex remotione gratiæ originalis, & ex relictis ab origin. peccato Vulneribus: Atque ita essentiam integram cum accedente corruptione originali appellamus *naturam corruptam*: & est. Ex hoc iterum liquet, sibi Dicta constare mea.

Quare (tua recipe verba) impertinens atque inepta plane est Ministræ i cauillatio, & nihil ad rhabum; dum vocem Natura, meam in tam paucis lineis inscite ac malitiose confundit; & ipse turpiter confunditur: atque hæreticorum more nescit miser Pseudoparochus quid, vel de quo asseueret; nec considerat quid, vel quantum loquatur. Hæc quæ stupiditas est? Hic fructus est spiritus vertiginis Calviniani. Hæc vniuersæ: Pedem nunc pedi propius.

1. Age, exculpe hinc vel vmbra Contradictionis: *Operari posse bonum; & Propendere ad Malum*: idque naturam eandem secundum nationem non eandem: Illud, per bonam Essentiam; hoc, per Vitiationem.

2. Age, eliqua hinc vel speciem vllius meæ vobiscum Confessionis: Ego inquam, *Naturam propendere ad malum*; Calvinismus ait: *Natura propensi sumus ad ODIVM Dei & proximi*. 1. Itan? tibi *Malum* est idem, quod *Odium Dei & proximi*? scilicet sicut bestia est homo.

B. Ille Logista! *Odium Dei est malum*; non vice versa. Quantum igitur Genus differt à specie; tantum mea propensio ad malum, à vestro Dei odio. 2. Quinimo, hoc est actuale malum, & peccatorum pessimum: illa verò, ne peccatum

tum quidem vel habituale forsitan; sed naturæ morbus, qui non est peccatum formaliter, neque ipsa Concupiscentia, nisi materialiter. Vide meum *Luthero-Caluinism. part. 4. questio. 22. & 23.*

II. De Odio DEI.

MINISTER ait: Vox *Odium* propriè est vitium hominum, & *ira inueterata*: at in Scripturis *odisse Deum*, est idem quod, *Non seruare præcepta DEI*: vt Deuteronom. 5. *Vindicans peccata eorum, qui oderunt me.* Deuteronom. 32. vers. 11. Psalm. 139. v. 21. Et hoc sensu capit *Odium DEI* Catechista, in quod natura propensus est homo.

Et quis iure carpet? Quia, Genes. 8. v. 21. *Figmentum cordis hominis ad malum à pueritia.* Roman. 8. *Prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum; & legi Dei non subijcitur; ac ne potest quidem.* Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est: Ita, vt non sumus idonei aliquid boni cogitare; sed omnis nostra aspiratio sit ex Deo,* 2. Cor. 3. Phil. 2.

OBIECIT ipse sibi: At, *Naturam propendere ad odium Dei*, graue est auditu. Respondet 1. In bonam partem explicatur.

2. Quia, quod bene dicitur, non bene intelligitur.

3. E sensu, non è verbis hæresu æstimandam: vt stultum stiligare de nomine, cum de re constat; estque logomachia. Sed nil opus his effugijs.

4. Ipsa esphrahis extat. Rom. 1. vers. 30. *Odiosus*, id est, *odiosus*, non, vt vulgata, *Deo odibilis*: Non enim agitur ibi, quales sint apud Deum; sed qualibus ipsi vitijs taminati sint. Hæc Minister.

RESPONDEO. *Odisse Deum* varie significat in Scripturis: 1. *Propriè*, Detestari DEVM, reprobare, spernere, vitare, negligere Deum; vt in adductis à Ministro locis, aliisque multis; vt Prouerbior. 8. *Qui me oderunt, diligunt mortem.* Ioann. 15. *Mundus me priorem odio habuit.* 2. At vero nusquam, nisi improprie, significat, *Non seruare præcepta DEI*: hoc enim est vnus effectuum Odij Dei, vt causæ. Itaque quantum causa differt ab effectu; tantum Dei Odium ab præuicatione præceptorum Dei.

2. Deinde: Odium Dei est solius animæ actus, vel habitus; at *non seruare præcepta DEI* est actus & animæ, & per se corpore ac operis.

3. *Ad hæc*: Odium Dei specie differt ab violatione præceptorum, sicut singuli singulorum præceptorum violatorum actus, specie differunt.

4. *Demum*: Sæpe non seruantur præcepta sine expresso Dei odio, solum ex infirmitate humana, vi tentationis, occasionis, &c. Errat igitur & Catechismus, & Minister.

5. Minister quoque de prauatis verbis recitat Scripturas: En; Veritas ita legit: *Sensu & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.* At Corruptor verbi vertit, *Figmentum cordis*, (quasi totus homo, & quicquid in eo est); *ad malum*, omittit *primum est*: Vt innuat, Concupiscentiam esse ipsum peccatum; non pronitatem ad peccatum. Item, Veritas legit: *Sapientia carnis inimica est DEO*: At Caluiniana prauitas vertit, *Prudentia*; quæ tamen est animæ, non carnis propriè; *est Inimicitia*: Vt eandem Concupiscentiam securius affirmet esse peccatum ipsum, quod manet in regeneratis. Item, *Non sumus idonei, ad &c.* vertit: *Sed aspiratio nostra ex DEO est*: At Veritas legit: *Sufficientes, Sufficientia*: quæ ponit in nobis aliquam boni agendi facultatem, etsi imperfectam; quam perficit *Sufficientia Christi*.

Caluiniana autem corruptio propius accedit ad Concupiscentiam suam in peccato stabilis ponendam etiam regeneratis.

Ad vltimum: Responsum eius nulla exhaurit obiectionem, quam ipse sibi fecit. Priores ideo vocat *Effugia*; Postrema procedit item ex deprauatione vocis, *Odibiles*; pro qua supponit, ex Beza, *Odiosi*, *Odiosus*; quo expresse in subiuncta ratione stabilit Concupiscentiam in regeneratis vt peccatum permanentem.

Sed quoad hoc nil hic dicam; Dixi in *Luthero-Caluinistic. part. 4. questione 22.* Et in *Antichristo parte 4. questione 13.* Inque *Genealogia parte 4. quest. 6.*

III. De